

ribus, insignibus praconijs extulit gloriosa conscientia inconcussam stabilitatem, firmam fidelis petrae fundamine domum, intemeratae voluntatis illasam imperturbatamque constantiam, innocentem inviolatamque religionem, sanctam & indemutabilem perseverantiam. Et de qua sanctissimus universalis Rector ³ Ecclesia magnifice testatus est, Sicut magna lampadis splendor in terra noctis obscuritate luminis sui claritate fulgescit, ita fidei Tuae claritatem inter aliarum gentium obscuram perfidiam rutilare ac coruscare. Tu denique unione cum vero Capite, eadem es illa, de qua Imperator ille Germanus^h qui nominis sui fama Orbem perculerat, & fere subegerat regna vicina atque etiam Imperium Graecorum terrore concusserat, ut magis deditioem quam confederationem legationibus missis videretur offerre; qui solo verbo pacem gentibus ad arbitrium indicebat & bella, & tam vicinos quam remotissimos solo nutu terrebat, hic, inquam, talis, tantusque, dolenter conqueri consueverat, quod ex eo tempore quo Regem Francorum, & GALLICANAM Ecclesiam separare conatus esset a fide, & in suam haesim pervertere, ut adorarent idolumⁱ suum; successus sui relapsi essent, & qua antea extulerat, in depressionem suam coepisset fortuna fluctuare. Dum igitur haec Tibi dedicantur, utrique simul sit abunde satis, ac meum votum duplici emolumento compensatur, quod quasi Tu una facta sis cum Romana Ecclesia, cui adeo inconcussa fide & communione adhaesisti, communique Patri, tempestatibus haereticorum vel schismaticorum agitato, tutissimus semper portus extitisti, ac diu Sedem cum ea participasti. Denique non ea minima suppetit facti mei ratio, quod nulla sit penitus Ecclesia, post illam omnium Primam, cuius praclaris gestis, pugnisque cum inimicis Christi, victorijs, atque trophaeis, magis illustrentur Annales, quam Tuis; nec in qua ita viguerit, florueritve, diuinorum dogmatum puritas, disciplina observantia, morum censura, custodia canonum, nitor sacrorum rituum, peritia sanctarum artium & scientiarum. Haec enim continet, conservatque volumen istud, instar uberrimi promptuarij, in quo quid cetera in te mirentur, imitenturque, copiosissime intueantur. Nec Te fatida harpya nuper oborta, quibus haud tristius unquam monstrum, nec saevior pestis, ab usque Orbe condito sese Stygis extulit impurissimus undis, obscurare vel inquinare poterunt, quin semper appareas candidior^k nive, nitidior lacte, rubicundior ebore antiquo, sapphiro pulchrior, speciosior forma praecunctis gentibus, & multo florentior in Lilyjs Tuis, quam Salomon in omni gloria sua: quamdiu quo haecenus processisti pede perrexeris, firmiter innixa solida Petra Petri, eiusque doctrina fulseris, ut Sole Luna. Restat, ut sicut Illustrissimus Annalium conditor, more maiorum, Tomos suos Sanctae Romanae Ecclesiae severissima censura subicere, eosdemque probatos, Apostolica benedictione veluti divino quodam sigillo consignatos offerre consueverat: ita & Tu, CHRISTIANISSIMA Ecclesia, per sa-

g Greg.
Mag. 5 ep. 6.
ad Brunich.
Regin.

h Fridericus
Ænobarbus.
Sunt autem
haec verba
epist. 139 lib.
1. ap. Ioan.
Saresber. inter
epist. S.
Thomae Că-
luar.

i Nempe
Anupapam,
erectum ad-
uersus Ale-
xandrium
Tertium, qui
ad iussimum
Galliarum
portum con-
fugerat a
turbine ty-
ranni.

k Lamont.
Ierem. 4.

l Math. 6.